

Commentatio medico-chirurgica de cancro labii inferioris observationibus illustrato / Io. Christ. Stark.

Contributors

Stark, Johann Christian, 1769-1837.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

lenae : In bibliopolio Goepferdtiana, 1812.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ya92kvn8>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b22338718>

IO. CHRIST. STARK, M. D.

CONSILIAR. AULIC. SAXO - VINARIENS. PROF. PUBL. ORDIN. ETC.

7 u/10

COMMENTATIO MEDICO-CHIRURGICA

DE

CANCRO LABII INFERIORIS

OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATO.



CUM TABULA AENEA.

I E N A E

IN BIBLIOPOLIO GOEPFERDTIANA

C1D10CCCK11.

JOHN CHRISTIAN STARR, M. D.

PHYSICIAN IN CHARGE OF THE DISPENSARY

COMMISSIONER OF THE GENERAL LAND OFFICE

CANCERO LABII INFERIORIS

OSSEUM LACRIMALE SUPERIUS




PLATE I

PLATE I

IN ANATOMICAL CONSTRUCTION

PLATE I

P r a e f a t i o .

Dirissimis malis, quibus corpus humanum obnoxium est, sine dubio ille morbus, quem *cancerum* appellamus, adnumerandus est. Naturam ejus hucusque non satis cognovimus, in quo etiam causa quaerenda est, quare tot homines morbo isto e medio crudelissime tolluntur. Varia quidem et multa ad hunc morbum compescendum, a medicis et chirurgis praecepta sunt, quae vero nonnisi raro expectationi satisfecerunt. In cultro quidem nec minus in caustico, justo et maturo tempore adhibitis, interdum aegris paratur auxilium. Attamen vero plurimi sunt, qui, etiam his remediis destituti, morbo abripiuntur. Cuilibet igitur, omnes vires nervosque ut morbo isti atroci diminuendo et remediis etiam ancipitibus debellando intendat, curae cordique sit.

In hoc libello, pro muneris a Serenissimis hujus litterarum vni-
versitatis Nutritoribus mihi demandati opportunitate conscripto, *cancrum labii inferioris* tractandum mihi elegi. Inprimis vero, quid me-
dico, quid chirurgo in malo contra remedia saepius laudata aliisque in
morbis efficacia tam rebelli faciendum sit, exponere conatus sum. Itaque
praecipue in indicationibus, vbi cultri vel caustici subsidio extirpatio et
curatio per remedia interna et externa suscipienda est, constituendis ope-
ram navavi. Praeterea experientia edoctus attentionem medicorum
et chirurgorum in arsenici usum, prioribus quidem temporibus interne
et externe adhibiti, recentioribus vero, saltem hoc in malo pro usu in-
terno non neglecti solum, sed a multis adeo repudiati, denuo dirigere
studui. Expositioni vero ipsi quasdam observationes, non plane, vt
equidem puto, memoratu indignas inserui. Aequi atque hujus rei satis
compotes arbitri judicent, num ea, quae spectavi, assecutus sim.

§. 1.

De notione cancri in genere, imprimis vero de notione cancri labii magna inter medicos et chirurgos discordia fuit. Plurimi pathologorum et chirurgorum magni nominis carcinoma labii nominant quodque vlcus labii diuturnum, pertinax et malignum, cujus causa ignota¹⁾. Has vero notas ad characterem cancri distinctiuum constituendum minime sufficere, quisque facile intelliget. Vt in aliis locis sic in labiis etiam inveniuntur vlcera, quae per longum temporis spatium, aut culpa chirurgi aut pertinacitate mali non sanantur. Si igitur omnibus vlceribus, malum habitum externum prae se ferentibus, aut odorem foetidum spargentibus, aut pertinacitate medelae perspicuis, nomen cancri tribueremus, notio nimis late pateret, neque cancer ab aliis morbis ei similibus dignoscendus esset. Necessum igitur est, vt etiam huic morbo, ad omnem ambiguitatem evitandam, fines fixos indicemus. Neminem artis peritorum fugit, cancrum praesertim in glandulis aut partibus, glandulis structura et natura similibus, obvenire: vti in mammis, in testiculis, in labiis etc. Mea igitur sententia cancer in degeneratione et exulceratione partis glandulosae consistit.

Fuerunt quidem, qui sententiam, cancrum solis in glandulis sedem habere, eo refutare studuerunt, vt contenderent, cancrum etiam in partibus non glandulosis observari, quod accideret, quando cancer e verruca aut e pustula originem trahit. Tum vero aut vlcus naturae cancrofae non est, quamvis malignum habitum prae se ferre potest, aut verruca ex glandula exulcerata suborta est.

¹⁾ Vid. RICHTERI *Anfangsgründe der Wundarzneykunst*, Vol. II. p. 327.

§. 2.

Itaque mihi verosimile est, nonnisi in glandulis talem degenerationem obvenire posse, qualem in cancro invenimus. Sine dubio energia glandularum vitali mutata et diminuta, succus glandularis operatione organico-chemica sensim alteratur illamque naturam teterrimam foetoremque lentius aut citius adsumit. Ceterum cancer pro diversitate glandulae adfectae semper diverse se ostendet. Cancer glandularum secernentium v. c. mammaram inter omnes malignissimus, ideoque, cultro excepto, nullo aliæ remedio hucusque medicabilis. Cancer e glandulis lymphaticis natus, vti glandularum in labiis profundius sitarum, non tam malignus quam cancer mammae, ideoque facilius sanationem admittit, attamen vero malignior est cancro e glandulis subcutaneis suborto, qui etiam potissimum sanatur, cum ex eo ulcera nonnisi superficialia nascuntur.

§. 3.

Morbus vero iste glandulosus hac ratione decurrere solet: Glandula adfecta primum indurata minorem aut majorem tumorem praebet, quem scirrhum vocamus. Forma tumoris externa in asperitudinem angulosam mutata, colore livido exorto, dolore pruriginoso, punctorio, ardente obveniente, cancer occultus dicitur. Denique exulceratione orta, sanie effluente foetorem specificum expandente, labiis ulceris inverlis carcinoma nuncupatur. Hae mutationes aut cito aut lentius sequuntur.

§. 4.

Multi naturam viri cancrofi via chemica investigare et eruere, saepius singulari consideratione inducti, studuerunt, sed id, quod ex illis experimentis non raro perverfis prodiit, rem fere semper diversam monstravit, quo factum est, vt nonnulli saniem cancrofam acidam vt LE FEBURE¹⁾ alii alcalinam, alii gase hepatico impragnaetañ vti CRAWFORD²⁾ invenerint, quod tum ex diversa constitutione tum ex diversa functione et natura glandularum adfectarum explicari potest.

¹⁾ Vid. *Sammlungen auserlesener Abhandl. f. prakt. Aerzte.* B. II. St. 4. p. 170.

²⁾ Vid. *ibid.* B. XV. p. 344.

§. 5.

Num ichor e carcinomate effluens contagione transpl ntari possit, hucusque non satis liquet. Medici quidem et chirurgi fere omnes ichori vim, humores inficiendi eundemque morbum in corporibus sanis producendi tribuerunt. Experimenta vero ALIBERTI cum sanie cancrofa instituta, qui non canibus solum, sed etiam sibi ipsi et discipulis pluribus ichorem in sevit cancrosum deterrimum, opinioni de contagione contradicere videntur, etsi non satis, vt mihi videtur, rem probant¹⁾. Nam contagia non omnia, vulnere facto immissa, corpus sanum inficiunt, vti experimenta, a DESGENETTE, in se ipso cum contagio pestilenti instituta sine subsequente infectione demonstrant. Deinde contagia majorem minoremve opportunitatem corporis, in quod agunt, requirunt, si infectio procedere debet. Denique constat, ichorem per vasa absorbentia in carcinomate resorptum et ad glandulas vicinas translatum, glandulas eodem contagio infici, quo carcinoma primarium adfectum erat²⁾. Nam carcinomate, cultro ablato, crebrius glandulae vicinae intumescunt, indurantur, rumpuntur et in vlcus carcinomatofum transmutantur, vtpote quod glandulae axillares, in quibus non raro, carcinomate mammae ablato, morbus recrudescit, nec minus glandulae sublinguales et submaxillares post carcinoma labii excissum cancro affectae luculenter probant. Contagio igitur partis per alteram haudquaquam negari potest. Num vero contagio cancrofa individui per alterum fiat, dijudicare non audeo.


§. 6.

Labia oris prae ceteris multis gaudent glandulis, ideoque ad generandum cancrum tam prona sunt. Cancer vero multo frequentior in labio inferiori

A 2

¹⁾ Ichorem insitum in illis experimentis dolor pectorius, pustula rubra cum levi partis tumore in loco, vbi insitio facta erat, sequuta est; inflammatio pustulae in suppurationem transit, quam crusta tenuis sequuta est. Omnia haec phaenomena triduo elapso, evanuerunt.

²⁾ Si quis forte dubitet, ichorem cancrosum a vasis absorbentibus fuscipi, adeat SOEMMERINGII librum *de morbis vasorum absorbentium*. Trajecti ad M. 1795. p. 107. qui vasa absorbentia ichore tenui ex atro livescenti turgida, varices fere mentientia, in pluribus partibus cancro adfectis vidit.



observatur, quam in superiori. Si vero augetur, ab inferiori ad labium superius interdum serpit. Ceterum cancer labii diversae formae et indolis se exferit:

- 1) Sub forma nodi majoris minorisue scirrhi dicti, parti labii rubrae inhaerentis, cujus superficies aut plana, aut angulosa, aut disrupta est, vti in verrucis, quarum naturam tumor cancerosus interdum mentitur. Initio haud inducit dolorem aliamve molestiam, quare fit, vt auxilium ab aegro non quaeratur, qui vero postea aut pruritus aut lancinationis fugacis sensu admonetur, quid malum significet. Denique color tumoris natus in coeruleum, lividum mutatur, interdum vasa vicina intumescunt varicosa.
- 2) Ocyus aut serius nodus exulceratur, quod cutis exoriatione, effluxu ichoris acris, vrentis, foetidi indicatur; exulceratione orta interdum tumor augetur ad magnitudinem nucis juglandis, imo pomi. Ulceris exorti basis dura, scirrholosa, ejusque labia tumida, reversa, retorruda, interdum quasi exesa; dolor immanis, vrens, pungens, rodens, color cineritius, caeruleus, lividus. Vlcus latius serpens vasa nervosque destruit, indeque haemorrhagiae profusae et dolor intolerabilis.
- 3) Sub forma *fungi*. In margine labii surgit nodus duriusculus, diuturno aut brevi clausus, tandem ruptus, e cujus superficie excrescentiae naturae fungosae insurgunt, quae satis cito crescunt et extenduntur, e quibus sanies sanguinolenta, acris et foetida exsudat. Cujus naturae fungus mihi obvenit, qui totum labium inferius ab angulo dextro ad angulum oris sinistrum infestaverat et ad arcum labii se incurvaverat, vti depictum conspicias in tabula adjecta fig. I. de quo infra fusius et vberius tractabitur.
- 4) Sub forma *ulceris excedentis*. Plerumque haec carcinomatis species e nodulo in superficie labii sito exoritur, quo disrupto vlcus superficiale formatur, quod brevi tempore ambitum in majorem auctum totum labium inquinat, et sibi relictum ad genas ipsas extenditur. Plerumque quidem originem e parte labii rubra ducit, mox vero serpit ad superficiem labii exteriorem. Margines vlcis sunt durae et inversae, fundus foetidus, ichor cadauerosi foetoris vrens, effusus sensum doloris vrentis et lancinantis proferens.

§. 7.


Varia *momenta causalia* ad generationem canceri conferre possunt:

I. *Praedisponencia* s. *interna*, e quibus haec adducimus:

- 1) Cancer potissimum invadit *aetatem* proveciorem. Morbum ipsum in maribus annos quadraginta vsque ad sexaginta natis saepissime observavimus, rarius in tricenariis aut septuagenariis.
- 2) Cancer labii multo frequentius in maribus obvius, sicut cancer mammae tantum feminis peculiaris est. Inter quadraginta duos labii cancos diversae formae nullus mihi obvenit in feminis; alia quidem ulcera, non vero cancrofa, in labiis feminarum observavi. Contra e triginta quinque canceris, quos in mammis tractavi, vnum modo carcinoma in mamma maris et quidem olim judaei, tunc in christianos recepti, observare et extirpare mihi contigit.
- 3) Morbi, in systemate secernenti residentes, vt scrophulae, lues venerea, arthritis, herpes etc. non raro dispositionem ad generationem canceri relinquunt.
- 4) Pathemata animi deprimentia vti moeror, tristitia, aegritudo etc. quae detrimentis aliis exceptis potissimum vires systematis lymphatici debilitant, stagnationem humorum et obstructionem producunt, ideoque ad hunc morbum maximopere corpus pronum reddunt¹⁾

II. *Occasionalia* s. *externa*, quibus imprimis adnumerandae sunt variae injuriae allatae v. c. contusiones, quibus singula labii loca, praecipue glandulae

-
- 1) Exemplum effectus pathematum animi triste ante oculos versatur. Vir quidam quinquagenarius, temperamento inde ab omni aetate melancholico et constitutione atrabiliaria praeditus, sensu doloris vrentis et prurientis in tota facie praesertim in labiis et naribus causa distincta non obvia comprehensus et admodum cruciatus est, cogitans, labia cancro affectum iri. Mirum profecto, perpetua animi agitatione nodulum pruriginosum in labio inferiori nactus, tantum in metum carcinomatis dejectus fuit, vt ad omnes meas exhortationes tardus et melancholia completa correptus glandis ictu cerebrum percusserit.



premuntur et energia vitali destituuntur, quo fit, vt humores aut stagnet et glandulae in tumorem intumescant, aut discrasia illorum suborta exulceratio subsequatur, sensimque vlcus formetur. Labium imprimis inferius, cum libere promineat, laesionibus externis subjectum est v. c. pressioni a fistula tabacina ortae¹⁾ et aliis. Viro saepius arthritide vexato carcinoma labii satis ingens, a ramulo arboris recellenti subortum, refecavi.

Vt vero plurimi morbi concursu momentorum praedisponentium et occasionalium nascuntur, sic etiam hoc fit in cancro generando. Injuriae externe allatae eo facilius in partibus glandulosis cancrum producant, quo magis homines jam praedispositi sunt. Quandoque vero causae occasionales, quandoque causae praedisponentes, plus ad progignendum morbum conferunt. Itaque cancer mox vt malum topicum, mox vt malum vltius in corpore propagatum considerandum erit. His rite perpenlis, assertum a LEURS²⁾ pronuntiatum, cancrum nunquam a degeneratione partium solidarum topica derivandum, sed solummodo depravationi partium fluidarum attribuendum esse, facile dijudicandum erit, cum theoriae et experientiae repugnet. Ex eadem ratione ad sententiam, ex isto asserto a LEURS³⁾ derivatam, cancrum neque medicaminibus neque extirpatione vnquam sanatum fuisse, cui nuper HIMLY⁴⁾ assentiri videtur, minime accedere possum. Experientia crebro repetita docet, cancrum in lingulis casibus malum omnino locale esse, in quibus ab extirpatione auxilium tutum sperari potest. Praeter ista exempla, in decursu hujus libelli de cancro labii sanato adducta, etiam, si hic locus esset, de cancro mammae ope cultri feliciter extirpato plura adjungere possem. In quo etiam alii chirurgi mecum consentiunt. Instar omnium HILL⁵⁾ nominare sat est.

1) SOEMMERINGIUS arbitratur carcinoma ibi frequentissimum, vbi homines fistulis tabacinis indulgent, quoniam labium inferius inter fistulam tabacinam et dentes comprimitur. vid. libr. citat. p. 109.

2) Vid. *Sammlungen auserlesener Abhandlungen f. pr. Ärzte* B. XVIII. p. 319.

3) Vid. *ibid.* p. 404. 405.

4) *Hufelands Journal der practischen Heilkunde.* 1809. 12 St. p. 118.

5) vid. *ej. chirurgische Beobachtungen, welche hauptsächlich den Krebs und die Hopschwunden betreffen a. d. Engl. Leipzig 1777.*

§. 8.

Plures pathologi et chirurgi a causis variis, saepe singularibus, originem cancri derivarunt: JUSTAMOND¹⁾ ab infectis vel germinibus insectorum per vasa absorbentia ex aere arreptis, ADAMS²⁾ ab hydatibus, LEURS³⁾ a succo generationi in utroque sexu inservienti corrupto per nervos ad glandulam adfectam translato. Fertilitatem in sexu sequiori cessantem et vim generandi in sexu potiori decreascentem in progignendo cancro multum conferre, negari nequit; res potius eo apparet, vt cancer ea aetate potissimum obveniat, in qua illae mutationes functionis sexualis subsequuntur. Rationi vero, rem demonstrandi, A LEURS prolatae minime assentiri possumus.

§. 9.


Morbi, scirrho et cancro labii similes dignoscendi, sunt sequentes:

- 1) *scrophulae* in systemate lymphatico aequae obviae ac cancer, in tumorem glandulosum atque in vlcus transeuntes a cancro his notis distinguuntur:
 - a) Cancer vnam solummodo glandulam infestat, et, si postea plures glandulae adfectae conspiciuntur, hae ichore resorpto demum afflictae sunt. In scrophulis totum systema lymphaticum infestatum apparet, ideoque glandulae tumidae pluribus in locis conspiciuae sunt.
 - b) Cancer, vti jam supra memoratum est, aetatem proveciorem, scrophulae vero plerumque aetatem infantilem et juvenilem invadunt.
 - c) Cancer occultus et apertus dolore insigni, pungente, vrente innotescit, in scrophulis plerumque dolores absunt.
 - d) Cancer apertus, notis peculiaribus, ichore foetido acri vrente, labiis

1) JUSTAMONDS Treatment of Cancerous and scirrhus disorders. London 1780.

2) ADAMS ou cancerous breasts.

3) *Sammlungen auserlesener Abhandlungen* B. XVIII. p. 357.



inversis, callosis etc. se manifestat, vlcera autem scrophulosa effundunt pus tenue caseosum, neque vero acre nec odore foetido inligne.

- 2) *Vlcus venereum*, quod non raro alterutrum oris angulum quandoque labium superius occupat. In femina quadam labium superius vlceri syphilitico abhorrendo ita inquinatum erat, vt totum fere labium exesum et medio in labio hiatus satis amplus subortus esset. Historia morbi solertissimo examine indagata, nec minus indoles vlceris, pure ichoroso, fundo impuro lardaceo, margine inaequali et quali dentata manifesti, rem extra dubitationem posuerunt. Vlcus vsu mercurii sublimati sine deformitate sanatum est.
- 3) *Excoriatio* labiorum cum secretionemateriei puriformis, sensim in crustam spissatae post aliquot dies delapsae mox vero regeneratae, aucta plerumque metastatice orta. Malum diuturnum est et pertinax. Duo hujus mali casus mihi obvenerunt. Alter in juvene ab arthritide ortus per annum et quod excurrit juvenem vexavit, alter in femina juvenili ab herpete profectus post aliquot hebdomades, medicaminibus genio morbi adaptatis imprimis vero vlceribus artificialibus in brachio excitatis cessit. Si rem accuratius inquiramus, natura mali potissimum absentia signorum in carcinomate obviorum facile cognoscitur.
- 4) *Ulcus* quoddam in variis faciei locis, in alis narium, in labio superiori, in genis, in temporibus sine causa nota obvium, a multis ob mali pertinacitatem et diuturnitatem pro cancro habetur, quod vero ab eo multum abludit, cum omnia signa canceri pathognomica absunt. Fundus hujus vlceris purus, rubicundus, margines aequales et planae sunt. Vlcus quidem ichorem tenuem, albicantem, minime foetidum effundens, sensim sensimque auctum per multos annos perstat neque vnquam sanatur sed potius vltius serpit. Cutis et tela cellulosa solae adfectae videntur.
- 5) Interdum in labio inferiori aut superiori *fissura* suboritur, quae praeter sensationem tensionis nulla alia incommoda adfert, vnguento emollienti plerumque sanabilis. Qua vero neglecta vlcus dolorosum cum intumescencia et habitu decolori nascitur. Quo in statu saepius cum cancro confusum est. Signa vero canceri pathognomica, orae inversae, ichor foetidus, dolor vrens et pungens desunt.

Progn-

Prognosis cancri labii praecipue eo redit:

I. vt solertissimo inquiramus examine, num malum adhuc locale fit i. e. solum in labio, in quo incepit, resideat, aut an indicia jam adsint, virus cancerosum ulterius propagatum, fortasse per totum corpus dissipatum esse. In illo casu eventum omnino faustum ab extirpatione cancri expectare poteris, in hoc vero nullo modo. Cancrum vero non amplius morbum esse localem, ex sequentibus phaenomenis concludere licet:

- 1) Ex intumescencia et induratione glandularum vicinarum v. c. sublingualium aut submaxillarium.
- 2) Quoties aliae glandulae e. gr. in buccis sitae, intumidae aut durae inveniuntur.
- 3) Quando ipsae glandulae subcutaneae in superficie labii ceteroquin incolumis interiori ceu noduli duri largiter disseminatae apparent¹⁾.
- 4) Quando superficies labii interna multis vasis varicosis obfessa indeque livida est.
- 5) Quoties gingiva eandem induerit indolem et labio jam destructo ab ulcere adgressa aut maxilla ipsa a cancro infecta sit.
- 6) Ex meibomiarum glandularum suppuratione per longum temporis spatium jam continuata, ex rubore oculorum livido, ex colore faciei maculoso et rubicundo, ex habitu totius corporis cachectico.

II. Vt *forma et tumoris natura* indagetur. Quam diu malum formam scirrhi prae se fert, extirpatio multo laetiozem promittit exitum, quam vbi jam in-

1) Vir carcinomate margini labii inferioris inhaerente neque magno ambitu gaudente affectus, cujus vero tota superficies labii interna nodulis magnitudine grani milii multis occupata erat, extirpationem a me desideravit. Precibus illius invite obsecutus, totum carcinoma villo sine residuo resecaui, vulnus brevi consolidatum sed mensibus vix decem prolapsis vlcus faciei deterrimae recrudescit, totum occupans labium, ex quo luculenter elucet, in glandulis illis minimis contagium fuisse disseminatum.

dolem carcinomatis induerit, in quo casu virus carcinomatofum facilius reforberi et ulterius mitti potest. Carcinoma superficiale subito se expandens et totum labium occupans neque minus carcinoma in basi scirrholosa relidens, cujus vero superficies, vti in verrucis, fissa et disrupta, maligni fere semper est ingenii. Ex frequentiori et vrente in ulcere dolore, ad partes serpente adjacentes, nec minus rheumatico aegrotos saepius invadente, propagationem virus ad glandulas vicinas imminentem suspicari poteris.

III. Vt mali *diuturnitas* spectetur. Quo recentius est, eo majorem fausti exitus spem alere possumus; quo vero diuturnius, eo verosimilius, virus ulterius esse propagatum. Quod vero praeceptum sine omni restrictione valere nequit, cum quandoque cancri occurrunt inveterati, qui prospero eventu et contra recentiores, qui fortuna adversa exstirpata sunt¹⁾.

IV. Denique vt *aetatis* et *constitutionis* aegroti ratio habeatur. Cujus vires simulac aetate aut dyscrafia humorum vlla fractae sint, vix exitus laetus potest sperari. Cum vero functiones ejus illaetae inveniuntur, vires febre non labefactae, major eventus prosperi spes chirurgo arridet. Omnino vero negari nequit, quod jam plures observaverunt, exstirpationem interdum infaustis auspiciis institutam feliciter concessam etj contra bonis auspiciis inchoatam eventum infelicem esse sequutum.

§. 11.


Cum scirrhus et cancer, vti jam supra demonstratum est, in degeneratione glandulae affectae et, si scirrhus in carcinoma transferit, in humorum in glandula secretorum decompositione consistat, quo fit, vt potentiae externae nimis praevalide agant et pars adfecta ab illis magis magisque assimiletur et abripiatur, atque cum processum organico-chemicum, a quo ista degeneratio pendet, plane ignoremus neque actioni istae chemicae fines constituere, aut illam prorsus tollere possimus; vix fieri potest, vt aut partis scirrholosae, in qua degeneratio incipit, resolutio perfici, aut multo minus partis cancrosoe, in qua plenariam degenerationem invenimus, functio restitui queat. Unica igitur ratio, de-

¹⁾ Carcinoma, quod jam annos sex et ultra duraverat, felici successu viro resecaui.

generationem in parte scirrhusa et cancrosa radicitus auferendi atque ita progressus actionis chemicæ, a qua aberratio orta fuit, terminandi, consistit in parte glandulosa, in qua scirrhus aut cancer residet, penitus destruenda aut extirpanda. Rem vero solummodo ita tractare poteris, quum processus organico-chemicus, a quo degeneratio scirrhusa et cancrosa profecta est, sola in parte, a qua exiit, haereat. Qui vero processus simulatque ad organa vicina primo adfectis similia jam transiverit et chirurgus persuasus sit, glandulas vicinas solas esse comprehensas, glandulae adfectae proxime adjacentes simul ut destruantur necessum est; si vero glandulae plures et remotiores aut etiam alia organa non glandulosa adfectae occurrant, ex quo patet, morbum non amplius localem esse, in partibus adfectis singulis destruendis nulla salus, uti in lue venerea in aboliendo vno ulcere auxilium non paratum. Cum res ita se habent, remedia indicata essent, quae adfectionem morbosam per plura varia indolis organa dispersam eadem ratione, qua lues venerea mercurialibus extinguitur, auferre valerent. Cujus vero generis remedia ad scirrhum aut cancrum debellandum hucusque nondum sunt cognita. Quare malum, eo deductum, aut immedicabile judicandum; aut remedia naturae et genio mali tam rebellis adaptata invenienda. Multa quidem remedia tentata sunt, sed quod valde dolendum, sine eventu prospero. In rebus desperatis CÆLso suafore remedium anceps tentandum. Itaque in tali cancri stadio vsum arsenici internum pluribus ex causis, de quibus infra sermo erit, valde commendabile puto. Me quidem minime fugit, arsenicum contra cancrum a pluribus medicis jam commendatum et etiam tentatum fuisse. Nihil vero certi ex omnibus tentaminibus isto medicamine institutis prodiit, quod etiam aliter contingere non potuit, quum plurimi ad vsum arsenici tum demum refugerent, quando, tota medicaminum farragine in vsum ducta vires corporis omnes exhaustae et prostratae erant, quo factum est, ut plures aegrotorum, in quibus a medicis arsenicum adhibitum fuit, maturius e medio sublatis sint, quam sine arsenici vsum factum esset.

His expositis *cura* scirrhi et cancri labii duplici modo potest perfici:

- I. Destructione et extirpatione partis affectae.
- II. Vsum medicamentorum interne et externe applicatorum.



§. 12.

I. *De destructione et exstirpatione partis cancrose adfectae.*

Ad fines degenerationi in scirrho et cancro procedenti imponendos, in exstirpatione partis scirrhosae et cancrose tutissimam et in plurimis casibus vnicam invenimus medelam. Exstirpatio vero tum demum sub prosperi eventus spe instituat, dum chirurgus persuasus est, scirrhum et cancerum in solo tantum labio inferiori sedem habere, aut miasmate carcinomatoso ulterius propagato partes scirrho aut labii cancro primario vicinas simul esse exstirpandas. Ablatio igitur eo tutius succedet, quo maturius instituitur, cum incertum est, quam diu cancer naturam morbi localis retineat. Quandoque enim citius, quandoque ocyus propagatur, quod a constitutione aegroti, ab ejus genere vitae, nec minus a variis potentiis nocivis pendet. Sic propagatio mali refrigeratione, privatione ciborum, deperditione sanguinis animique affectibus aut injuriis externis, frictione, pressione etc. non raro acceleratur.

§. 13.

Exstirpatio vero ipsa vario modo suscipi potest:

1. *Cautistici ope.* Generatim vero caustica indicata sunt, vbi carcinoma sub forma ulceris superficialis extat neque nimium attingit ambitum, prae ceteris commendabilia, quando pars adfecta in latere labii versus genas sita est, vbi usus cultri minus adaptatus. Equidem etiam in carcinomate in basi scirrhosa residente applicatur, neque vero massa scirrhosa gaudeat nimia crassitudine et duritie. Itaque in scirrho et cancro majoris voluminis neque minus in cancro fungoso, qualis tab. fig. I. pictus videndus est, non suppeditat. Cautistici enim adminiculo omnia, quae abnormi vi vitali in ulcere nata sunt, destruenda, vlcus cancerosum immutandum in vlcus purum. Cauticum ergo omnes partes morbosas usque ad vlcus fundum penetret necesse est, nisi aegrotus in morbum recidere debeat.

§. 14.

Varia caustica contra scirrhum et cancerum labii aboliendum in usum ducta sunt:

- a) ferrum candens modo prodest, vbi carcinoma, partem tantum minorem et quidem superficialem occupans, vnica applicatione exstingui potest. Majoris vero momenti ejusdem vsus est, quum post exstirpationem, cultri ope institutam, locus quidam suspectus, qui auxilium cultri non admittit, in decursu sanationis vlceris detegatur.
- b) Alia quidem medicamenta caustica, vti Onopordon, sedum vermiculare et alia laudata sunt ad cancrum labii debellandum, vix vero credo, vlcera, in quibus ista medicamina adhibita sunt, naturae fuisse cancrosoe. Eorum vis nimis exigua aestimanda, quam quod vlcus vere cancrosum exstinguere valuissent.
- c) Efficacissimum ab antiquioribus jam temporibus auxilium caustica ex arsenico parata contra cancrum protulerunt. Quae vero non vi caustica solum operari, sed vim etiam virus cancrosum immutantem et normalem partis adfectae functionem restaurantem exferere mihi videntur, quod inde prodit, quod arsenico satis diluto et iterata vice adhibito vlcus cancrosum non raro sanetur. Medicaminum ex arsenico confectorum variisque formis in vsum ductorum praecipua haec sunt:
- a) Arsenico f. q. aquae soluto vlcus lavatur aut linteum carptum eo imbutum carcinomati applicatur. Qua quidem ratione LE FEBURE¹⁾ novissimis vero temporibus FLEISCHMANN et alii vsi sunt. Arsenicum solutum praesertim conducit in vlceribus cancrosois in partibus valde sensilibus obviis, vbi ab arsenico, alia et fortiori forma adhibito, symptomata nociva et periculosa metuenda sunt. Ceterum solutione arsenicali quotidie bis aut pluries applicata continuatur, donec vlcus detersum et ad consolidationem pronum sit.
- β) PLUNKETI remedium, a GUY saepius adhibitum, constat ex arsenico, sulphure, cotulae foliis et ranunculo sylvestri²⁾.
- γ) Prae ceteris remedium Cosmicum³⁾, quamplurimis probatum expe-

¹⁾ Vid. ej. lib. *Remède éprouvé pour guérir radicalement le Cancer*. Paris 1775.

²⁾ Vid. RICHTER *chirurgische Bibliothek* T. V. p. 132. et Tom. VIII. p. 76.

³⁾ Formula remedii cosmici haec est: ℞. Cinnaberis factit. drachmas duas, Cineris solearum

rimentis, laudandum est. Fuerunt quidem alii, qui illud remedium summae quidem omnino esse efficaciae in vlceribus in facie saepius obviis herpeticis et aliis, carcinomatis naturam mentientibus, minime vero in carcinomate ipso contenderent¹⁾. Huic sententiae accedere non possum. Concedo quidem, remedium saepius in vlceribus faciei nomen cancri haudquaquam vero ejus naturam prae se ferentibus adhibitum esse, e quo vero non sequitur, in cancro labii nunquam profecisse. Plurimae enim observationes de ejus eximia in carcinomatibus genuinis efficacia extant, quibus, si opus esset, egomet ipse plures adjungere possem. Remedium Cosmicum justo tempore et ratione administratum eadem, qua cultrum, ratione effectum producere oportet, immo in nonnullis casibus cultro proferendum puto, cum caustico arsenicali omnia, quae corrupta sunt non solum destruantur, sed secretio ipsa in parte affecta perversa alteretur et virus cancrosum ipsum, quod certe mihi probabile, decomponatur, quod extirpatione cultri ope minime perficitur. Simulatque vero chirurgus finem istum attingere velit, necesse est, ut virus carcinomatofum solae parti, in qua se exserit, inhaereat neque minus ut carcinoma ipsum ita comparatum sit, ut remedium causticum usque ad fundum vlceris penetrare possit, et omne morbosum diruat. Qua re effectus caustici in eo carcinomate, in quo massa cancrofa nimis profunda est et crassa, cui penetrandae causticum invalidum, minime sufficit. Itaque remedium Cosmi in carcinomate mammae, experientia duce, parum efficaciae praebet²⁾.

Ceterum remedium Cosmicum administrationi arsenici sub forma so-

vstar. grana octo, sanguinis Draconis grana duodecim, Arsenici albi grana quadraginta. M. F. P. subtil. D.


¹⁾ Hanc sententiam novissimis temporibus protulit MURSINNA, vir multis ex nominibus praefertim ob eximiam rebus in chirurgicis dexteritatem aestimandus. Vid. ej. *Journal für Chirurgie* etc. Vol. I. fasc. 3. p. 440.

²⁾ Hoc vero praeeptum non sine restrictione valet. Nuper admodum remedium cosmicum felici successu administrami in carcinomate mammae recidivo, non quidem magni ambitus, tamen vero satis profundo. Remedium in sufficiente quantitate et crassitie vlceri impositum omne corruptum penetravit et destruxit, quo factum est, ut paucis intra diebus vlcus consolidatum sit.

lutionis externae magnopere est proferenda, quoniam effectus arsenici in pulvere cosmico multo fortior et certior. Remedio cosmico vlceri illinito major humorum affluxus oritur, quibus arsenicum in eo contentum sensim sensimque solvitur, quo fit, vt multo magis et etiam profundius per massam cancrosum penetret eamque destruat, quod arsenico jam ante applicationem soluto non fit, cujus vis in superficie tantum vlceris peragitur. Rem ita se habere, ex eo patet, quod aegrotus non statim post applicationem medicaminis sed secunda demum die et sequentibus dolorem sentiat vehementiorem.

Applicatio vero remedii sic instituitur: Carcinomatis, lintei carpti ope exsiccati, superficies non solum, sed etiam ejus margines remedio sufficiente aquae quantitate in formam pultis spissioris redacto, subsidio penecilli e crinibus confecti, satis largiter illinitur. Partes vero vlceris vicinas, ne caustico corrodantur, emplastro perforato tuearis, necesse est. Vlcus ipsum medicamento illinitum linamentis carptis obtegitur. Si fortasse in singulis vlceris locis medicamentum abstergeretur, statim denuo ista loca eodem sunt inducenda.

Symptomata, applicationem medicamenti cosmici sequentia tum ex discrimine partis, cui cancer inhaeret, tum ex indole carcinomatis nec minus ex ejusdem magnitudine et ambitu sunt diversa. In cancro labii inferioris aliquo ambitu gaudente et in ejus superficie residente, ob eximiam papillarum nervearum copiam, mox post illinitionem medicaminis dolores insignes nascuntur, ad cancrum vero, cujus massa majus volumen habet, dolor gravior paululum tardius accedit, secunda vero die admodum augetur et die tertia aut quarta summum fastigium attingit. In aegro, sensili praedito constitutione, totam faciem tumidam, oedematosam atque rubore erysipelatode non raro ad partem capitis comatam diffuso inductam, nec minus febrem vrgentem plerumque delirio junctam, interdum convulliones, deglutitionem impeditam et alia symptomata spastica reperimus. Quinta vero die omnia symptomata et ipse dolor mitigata sunt. In carcinomate minoris ambitus, nec minus in aegris temperamento torpido praeditis, symptomata omnia multo minus gravia observantur; attamen dolor modicus cum faciei tumore accedit. Omnia symptomata fere semper vsu opii, camphorae interno et pulvinariibus herbis aromaticis repletis externe impostis leniuntur et dissipantur.



Vlcus cancrorum crusta fusca et nitente obducitur, quae novem, septemdecim, viginti intra dies a partibus sanis solvi solet, vti partes sphacelo correptae a partibus vi vitali praeditis separantur. Viribus vero naturae solis separatio perficitur, et quam solertissime providendum est, ne ruditer abstracta aut avulsa eschara pars sana offendatur, ex quo facile nova virus propagatio ad partes incolumes nasci potest. Quod maximam in partem separatim atque singulis modo fibris adhaesum est, facile forcipe potest abscindi. Simulatque omne corruptum solutum est, fundus vlcus granulationibus carnis se obtegere incipit. Si vero loca singula dura aut decoloria observantur, medicamentum iterata vice vt imponatur necessum est. Vulnus linamentis carptis aut siccis aut vnguento digestivo, Balsamo locatelli, vnguento et plaga ipsa brevi cicatrice obducitur.

δ) JUSTAMONDI¹⁾ vnguentum ex arsenici granis quinque, laudani pur. granis decem, Cérati drachma confectum, panno linteo tenuiter illinitum et iterata vice impositum. Idem etiam alia mixtura, ex arsenico et sulphure constante, ad mitigandum, in vlcibus cancris obium, foetorem abominabilem vsus est.

ε) Aliud Vnguentum contra cancrum ex arsenici, florum sulphuris, in drachma Aceti destillat. Vnguenti alb. āā vnciam j. ARNEMANN²⁾ praedicat.

ζ) HARGENS³⁾ multo minori dosi arsenicum externe adhibuit in vlcibus cancris nimia sensibilitate praeditis: ℞. Arsenici albi grana quatuor, Butyr. rec. non salit. drachmas sex, Cer. alb. drachm. duas, exact. m. f. Vnguent.

η) HARLES⁴⁾ vero, vbi ingens adsit vlcus sensibilitas dolorque, multumque simul feri ichorosi continuo exsudat, hoc vnguento vsus est: ℞. Arsenici

¹⁾ JUSTAMONDS an account of the method pursued in the treatment of cancrus and scirrhus disorders and other induration. London 1780.

²⁾ ARNEMANNI *praktische Arzneymittellehre*. Vol. 2. Göttingen 1795. p. 145.

³⁾ Vid. HUFELANDS *Journal der praktischen Heilkunde*. Tom. IX. fasc. II. p. 148.

⁴⁾ HARLES de Arsenici vsu in medicina. Norimbergae 1811. p. 272.

fenici alb. grana sex ad decem, opii puri grana duodecim ad viginti, Calcis Zinci drachmam dimidiam, Butyr. rec. vnciam vnam, Cerae flavae liquef. drachmam vnam et dimid., longa triturat. misc. exact. f. Vnguent. Hujus vnguenti partem circiter sextam qualibet vice cancri superficiei diligenter et aequali strato illinire, coriique frusto operire HARLES jubet. Neque vero quotidie, sed singulis tantum ternis quaternisque diebus repetatur vnguenti vsus.


- 2) Quandoque arsenico externe adhibito extracta vegetabilia mundificantia, balsamica vel leniter adstringentia et siccantia admisceri possunt, vt ALTHOF eximio cum successu praesertim in tumoribus fungosis sequenti modo fecit: ℞. Arsenici albi grana tria, solv. in Aquae stillatit. drachm. tribus, adm. Extracti Cicutae, Extr. chinae off., Extr. Saturn. aa Unc. dimidiam. M. D. pr. vsu externo. Hac mixtura excrefcentia fungosa ter quaterque quotidie illineatur.

In posterioribus casibus (δ. ε. ζ. η. θ.) arsenicum, tam exigua dosi adhibitum, non tanquam causticum, sed potius vt remedium, virus cancrosum alterans, vim suam exserit. Itaque iterata vice applicetur et per longum temporis spatium continuetur, necesse est.

§. 15.

II. Exstirpatio *cultri* ope indicata est:

- 1) Quando malum sub forma scirrhi aut cancri occulti exstat. In hoc casu a caustico vix quidquam sperandum, quoniam vitio penetrando et destruendo impar est.
- 2) In cancro aperto notabili basi scirrhusa residente, ad quam enecandam causticum haudquaquam aptum.
- 3) Quando carcinoma totum labium a superficie externa vsque ad internam inquinavit, ita vt pars ipsa labii rubra a vitio adfecta sit. In hoc casu causticum ad excidium partis corruptae minime sufficit, quo, si etiam sufficeret, totum tamen labium destrueretur, et deperditio partis foedaeque deformitas oriretur.



4) Quando malum sub forma tumoris grandioris a labio dependentis se ostendit.

§. 16.

In exstirpando cultri ope cancro a chirurgo admodum spectandum est:

1) Vt nihil corrupti aut vitiosi remaneat. Neque enim solum, quae exulcerata, callosa et indurata, sed etiam quae decoloria aut alio modo suspecta sunt, auferantur. Itaque jam ante operationem diligentissimo examine superficies, et externa et interna, indaganda est. Multo salutarius est paulo majorem, quam opus est, partem abscindere, quam cuiquam parcere, ne aegrotus in periculum recrudescentis mali incidat. Non raro infauftus excissionis eventus in eo quaerendus, quod chirurgus non satis accurate in vitioso abscindendo peregerit.

2) Vt excissio tempestivo tempore suscipiatur. Longe facilius succedet in tumore adhuc clauso, quam jam exulcerato. Incertior est eventus, cum cancer totum jam labium infestinauit aut ad genas se extendit. Immedicabile certe cultri subsidio carcinoma iudicandum, vbi gingiva decolor, varicibus nigricantibus obfessa, aut fortasse exulcerata et maxilla ipsa adfecta, nec non glandulae vicinae tumidae et induratae sunt. In casu posteriori excissionem nonnulli instituerunt, et intumescencia glandularum vicinarum post ablationem cancrofi disparuit. Quo vero in casu tumores glandulosi vicini modo consensuales fuerunt, neque propagatione virus orti. Quodsi accidit, tumor glandularum vicinarum neque notabilis neque valde durus est. Simulatque aliqua glandula vicina tumida et indurata, corpus ceteroquin sanum neque alia res aduersa adest, excissio carcinomatis institui potest, sed necesse est, vt glandulae vicinae induratae simul auferantur.

§. 17.

Exstirpatio vero ipsa ex indole cancri, ejusdemque sede, gradu et ambitu vario modo perficitur.

1) Quando morbus formam scirrhi prae se fert, et tumor ad marginem labii

haerescit mobilis, vti in quacunq̄ue alia parte, enucleatur, in quo providendum, ne quidquam corrupti remaneat: summa diligentia omnes radices evellendae sunt. Hac encheiresi labium jacturam non facit. Quae vero methodus in tumore parvo neque nimis profunde penetrante, reliqua parte labii incolumi, modo congruit.

- 2) Quod si morbus jam in carcinoma degeneratus minorem majoremve labii partem occupet, omne corruptum binis incisionibus, ad latera tumoris aequalibus versus mentum in angulum ex ambitu vitiosi plus minus acutum coeuntibus includatur. Cum labia facillime protrahuntur, plus quam dodrans eorum excindi potest, et tamen reunio orarum plagae succedet.

§. 18.

Incisiones quam optime ope scalpelli perficiuntur, in hac operatione forfici longe praeferendi. Forfice enim fere semper vulnus vexatur. Contusio vero eo major erit, quo fortius partes abscindendae repugnant. In adultis praesertim in maribus, utpote in quibus cancer labii multo frequentior, propter barbam cutis valde solida non nisi compressione forti forficis ope solvi potest. In infantibus tenera cutis forfici multo minus repugnat, qua ex ratione in operatione labii leporini apud infantes instituenda forficem, in cancro labii scalpellum praeferendum puto. Ad incisiones facilitandas easque rite aequales reddendas, labium sub lamella seu charta glutinata inter labium et gingivam interposita rite tendatur primoque in vno tum altero latere tam oblique inscindatur, quam pro ambitu et latitudine opus est. Binae incisiones accurate ejusdem longitudinis esse et in angulum coire debent. Haemorrhagia ex arteriis coronariis nata nunquam ligatura mihi opprimenda fuit. Aut sponte aut oris vulneris ad invicem adductis et compressis semper sedata est. Ligatura arteriarum reunioni vulneris obstaret. Quamvis in labio perscindendo cuti omni modo parcendum sit, multo tamen majoris momenti est, ne quidquam corrupti aut suspecti remaneat, ex quo cancer facile resurgeret. Qua ex causa, carcinomate cum angulo oris ipso cohaerente, sectione transversa versus genas directa, angulus oris dilatetur, vt culter ad incisionem versus inferius perficiendam, qua cum incisione ab altero latere includatur, admoveri queat.

Vulneris orae futurae intortae post operationem labii leporini vſitatae ope optime reuniuntur. Pro longitudine hiatus aut binae aut ternae acus trajiciuntur. In acubus transmittendis respiciatur, vt eae non per cutem ſolum, ſed potius per totum labium trajiciantur, quod ſi negligitur, aut labia vulneris acu facile diſrumpuntur, aut in ſuperficie labii interiori non conglutinantur. Ceterum acus, praefertim majore labii parte exciſſa, ſufficiente de margine vulneris diſtantia ſaltem trium linearum, perducantur. In adducendis vulneris oris animadvertendum eſt, vt haec in ſuprema vulneris parte, nempe rubra, quam exactiſſime connectantur. Sutura nodosa ad conjungendas plagae oras a nonnullis commendata minus quam ſutura circumflexa adaptata eſt. Illa vero quandoque vtaris, vbi acubus trajectis labia vulneris aut in prolabio aut in angulo inferiori non ſatis firmiter comprehenduntur. Multo etiam minus conjunctio falciae quam dicunt reunientis ope ſuccedit.

Vulneris labiis futurae circumflexae ſubſidio connexis vix alio remedio, reunionem ſuſtentante, opus eſt. Plurimis in caſibus, quos tractavi, neque emplaſtra, neque falcias applicavi niſi cum orae plagae in interſitiis inter acus trajectas non ſatis coaptatae mihi viderentur, aut cum major labii pars exciſi deberet. In illo inde caſu interſitia nonnullis emplaſtri adhaeſivi ſtriis obtegenda, in hoc falciam ad prolongandas et protrudendas genas applicandam putavi.

Acus ante ſextum diem plerumque non educantur. Quas maturius aut tardius amovere rariffime conducit. In illo caſu nondum vacillant, ideoque iis eductis aegroti absque neceſſitate dolor movetur; in hoc loca, in quibus acus repositae fuerunt, ſuppuratione nimis protracta deformantur et, quod etiam pejus, lacerantur atque cicatrice foeda obducuntur. Acubus juſto tempore emiſſis, conglutinatio orarum vulneris ſtriarum emplaſtri adhaeſivi quarundam et falciae reunientis ope ſuſtentatur et facilitatur. Loca acubus afflicta, ſi fortaſſe nimis diuturne ſuppurant, baſſamo peruviano aut baſſamo commendatoris aut alio illinantur.

Conjunctione vulneris labiorum rite peracta, cicatrix vix notabilis neque vlla deformitas remanet. Haec igitur methodus, quantum res concedit, omni-

bus aliis anteponenda. Conglutinationem orarum vulneris etiam tum succedere, quando labium in maximam partem abscissum fuerit, pluribus observationibus edoctus sum, e quibus sequentes, ut puto memoratu dignas, adjicio.

§. 20.

Medio in labio et quidem in ejusdem margine viri quinquagenarii sine causa cognita, tumor ab initio parvulus, durus, satis subito crescens, denique exulceratus et in tumorem fungosum et dolorificum immutatus natus erat, qui intra annum et dimidium eum ambitum idque volumen adsumserat, qualem in tabula adjecta Fig. I. depictum videmus. Tumor naturam canceri fungosi prorsus induerat, cujus superficies multis poris, e quibus ichor tenuis, acris, vrens, foetidissimus et fulci coloris transfudabat, obducta. In labii margine tumor sensim auctus se ita expanderat, ut non ab vno oris angulo ad alterum solum diffunderetur, sed etiam aliquot lineas ambos oris angulos excurreret, ita ut summa tumoris latitudo a-b duos pollices et decem lineas, minor amplitudo c-d totidem pollices et lineas quinque, summa vero altitudo e-f pollicem et dimidium, maxima denique crassities pollicem et lineas quatuor in suprema parte, cui carcinoma labii adhaerebat, minima vero crassities in margine tumoris inferiori, qua cum labio non infidebat, quinque lineas aequaret. Ceterum superficies carcinomatis superabat ejusdem basin, cum tumor in toto suo ambitu labio non inhaereret, uti Fig. II. monstrat, quae superficiem carcinomatis interiori, quacum modo in partem labio infidebat, adumbrat.

In utroque igitur latere nec minus in margine inferiori specilli ope subter tumore intrare eundemque attollere poteram. Qua in exploratione detegebatur, labium in oris angulo sinistro amplitudine linearum quatuor atque in dextro linearum fere trium adhuc incolume esse. Cum ex solertissimo examine prodiret, virum malo isto afflictum ceteroquin valetudine satis prospera gaudere, glandulas vicinas non tumidas, gingivam in maxilla inferiori integram et coloris vegeti esse, spes mihi adfulsit, ope binarum incisionum in angulum coeuntium non solum carcinoma me ablaturum, sed etiam aegrotum absque deformitate salvum esse servaturum. Quod sic peregi.

Peripheria carcinomatis, specilli ope elevati, splenio oblongo circumdata, carcinoma ipsum, tum ad terminos corrupti exacte cognoscendas, tum ad locum,



cui culter admoveri possit, procreandum, de labio abduci iussi. Tunc in lamina e charta glutinosa confecta et oblonga, inter gingivam et labium inferius immissa, labio ab vno latere a ministro et ab altero latere a me ipso tenso, incisio obliqua desuper ad inferius in parte labii sana et quidem primo in sinistro latere perfecta est; id quod postmodum in latere dextro feci, ita, vt ambae incisiones in talem angulum, qualem Fig. II. a b c adumbratum conspiciamus, coirent. Adspectu hiatus binis sectionibus suborti, negare non possum, me terrore percussum esse, dubitantem, fore, vt reunio vulneris orarum succedat. Vix enim quidquam de labio supererat. Sanguis ab utroque latere ex arteriis coronariis largiter profudit. Genis a ministro ambabus manibus a tergo protrusis et oris vulneris a me ipso quam exactissime coaptatis, tres acus ad praecepta supra exposita trajeci, circa quas fila lineae et cerata lege artis circumducta sunt. Sanguifluxus statim contactu vulneris labiorum cessavit. Tum vero ad evitandam rupturam vulnerum acubus natorum, ob nimiam tensionem labii valde metuendam, tum ad cutem magis magisque attrahendam, fasciam, emplastro inductam et a me in labio leporino commendatam¹⁾, nuchae imposui et extrema ejus in duas partes divisa et super vulnere decussata, attraxi. Os ita coarctatum fuit, vt prioribus diebus cibi et potus non nisi ope cochlearis minoris ingeri possent. In dies vero os magis dilatatum est. Aegrotus quidem dolorem tensionum sensit neque vero febris nec aliud symptoma notabile subsequuta est. Sexto die elapso acus abstuli. Oris vulneribus satis firmiter conglutinatis emplastra et insuper fasciam reunientem ad sustentandam et promovendam conjunctionem per aliquot dies applicui. In habitu viri, die vigesimo primo insequenti, vulnus prorsus cicatrice vix conspicua obductum fuit. Labium quidem ejusdem inferius paululum iusto adstrictius maxillae inferiori innixum, sed os ita dilatatum erat, vt labium inferius illo tempore pollicem et quadrantem amplum esset. Esus et mandicatio absque vilo obstaculo procederunt. Pluribus mensibus praeterlapsis aegrotum denuo videre mihi contigit. Os ita amplificatum fuit, vt labii jacturam vix animadvertas.

§. 21.


Alteram observationem, pluribus ex nominibus, vti certe credo, memo-

¹⁾ Vid. libr.: *Anleitung zum chirurgischen Verbande* etc. p. 185.

ratu non indignam adjiciendam putavi, e qua item intelligitur, labium magnam substantiae suae jacturam facere posse et tamen conjunctionem vulneris feliciter succedere.

Mercenarius quidam ex oppido B. quadraginta novem annos natus, mensibus abhinc novem a tumore labii inferioris satis prope ab angulo oris dextro infestatus est. Nodus in dies ad magnitudinem juglandis auctus, dolorem acerbum, lancinantem et vrentem movit. A rustico quodam, chirurgiam faciente, varias jam res chirurgicas pessimas molito, inductus concesserat, ut nodus excinderetur. Medicafter vero excissionem tumoris novaculae ope anno millesimo septingentesimo nonagesimo octavo mense Januario perfecit, ita ut vulnus labii pollicem et dimidium dehisceret. Labia vulneris ter ope acus et fili linei consuere tentavit, sed semper vulneris labia mox post futuram factam disrupta et lacerata sunt. Tandem per oram vulneris sinistram filum robustius s. funiculum traduxit, ejusdemque extremum circa aurem dextram devincire studuit, quod, uti expectandum erat, iterum successu caruit. Qui igitur cum nihil amplius sciret, quomodo vulneris labia reuniret, aegrotum cum responso dimisit, vulnus sponte sanatum iri. Aeger miserabilis orationi medicaetri etiam nunc confidens, per plures menses sanationem vulneris expectavit. Tandem spe dejectus, labiis vulneris etiam magis diductis, saliva perpetuo effluente, deglutitione liquidorum aut impedita aut non nisi capite ad latus sinistrum inclinato possibili, me consulturus adiit. Hiatus labii inferioris non triangularis, sed semirotondus et tantae magnitudinis fuit, ut unciali (thalero) magno vix repleretur. Incisio lateris dextri in angulo oris ipso inceperat, ita, ut in hoc latere de labio nihil restaret. Margo hiatus inferior cum gingiva coaluerat et in toto marginis vulneris ambitu caro enata, cutis vero retracta fuit.

Malum igitur ipsum tanquam labium leporinum acquisitum considerandum, eademque ratione tractandum nobis visum est. A. d. XI Maji ejusdem anni operationem sic institui: Primum labium a gingiva dissolvi. Deinde ad margines ipsas rescandas me accinxit. Quarum vero dextram, cum neque scalpelli, neque forcicis ope rescindere possem, dum nihil anguli oris dextri prominere, in eo loco, quo angulus oris olim fuerat, genam tres quatuorve lineas in directione transversa rescindere coactus sum. Quo facto forcicis curvatae adjumento oram hiatus dextram rescindere tentavi, quod vero nullo modo



propter solidiorem labii indolem successit. In lamina igitur e charta firma confecta, inter labium et gingivam subjecta, oram fissurae dextram refecavi. Quod sit argumento, cultrum in aetate provectoribus forcici longe esse praeferendum. Oram hiatus sinistram eodem modo eodemque cultro abscidi. In oris vero hiatus refecandis provide curavi, ut binae sectiones quam exactissime in angulum coirent. Cum vero crura trianguli lateralia satis longa essent, tres acus per oras vulneris trajiciendas putavi, quas filis lineis cera obductis solito more circumvolvi. Conjunctio et conglutinatio vulneris labiorum eximie successit, quamvis labium propter jacturam ejus notabilem admodum tenderetur. Ut vero raptura vulneris orarum evitaretur, ope fasciae emplastro obductae et supra jam memoratae genas antrorsum propellere studui.

Aeger bene se habuit, nullumque aliud incommodum accusavit, quam quod tensionem quandam molestam sentiret. Triduo quidem febricula accessit, quae vero non nisi per aliquot horas duravit, et sudore miti finita est. Die sexto praeterlapso deligatione ablata acus eduxi. Labia vulneris egregie conglutinata et conjuncta fuerunt, non nisi ista loca, in quibus acus sitae fuerunt, et praesertim inferius, suppuraverunt. Vulnere rite pure purgato denuo strias emplastri adhaesivi et insuper fasciam reunientem applicui. In deligatione sequenti pus in dies diminutum, et sanatio intra dies duodecim peracta est. Omnis deformitas abfuit, angulus oris dexter bene formatus. Pluries et etiam nuper mihi contigit videre virum narrantem, se semper bene habuisse.

§. 22.

5) In carcinomate non partem labii solum, sed etiam genas occupante extirpatio scalpelli ope etiam commendata est. Quo in casu ante omnia angulus oris in directione transversa eaque amplitudine, qua pro mali extensione opus sit, primo incindatur. Tum vero omni corrupto incissionibus binis, in angulum acutum coeuntibus incluso, vulneris labia, quantumcunque res concedat, suturae intortae ope reuniantur. Nisi vero in tali casu carcinoma basin nimis scirrhosam habet, applicatio remedii cosmici cultro omnino praeferenda est.

§. 23.

4) Si vero totum labium ab vno oris angulo vsque ad alterum et imprimis
ejus

ejus superficies interna carcinomate inquinata sit, nihil restat, quam ut chirurgus omne corruptum incisione arcuata auferat, spes vero reunionis abest. Labia vulneris splenio, spiritu vini diluto aut aqua saturnina imbuto obtegantur. Sanguifluxus ex arteriis coronariis spiritui vini imposito plerumque cedit, quod nisi fiat, arteriae majores deligandae sint. Si vero cultri subsidio omne morbosum auferri nequeat, residua pars inquinata vel etiam suspecta ferro candente tangenda sit, aut medicamen causticum, ei destruendae par, adhibendum. Hac vero methodo foeda deformitas restat, dentes obtegi nequeunt, salivae effluxus, manducatio, deglutitio et loquela plus minusve impeditae remanebunt. Vulnus quidem satis subito quandoque consolidatur, remanente vero nonnunquam parte parva madida et decolori, quae applicationem aut remedii cosmici aut cultri postulat. Nonnulli quidem ad deformitatem minuendam fasciam reunientem, qua genae antrorsum propellerentur, adhiberi praeceperunt, dubito autem, fore, ut fascia in hoc casu quidquam efficiatur. Haec igitur methodus quantumcunque res concedit ob varia incommoda imprimis vero ob foedam deformitatem omittenda et aliis postponenda est.

§. 24.

Sequela operationis variae sunt:

- 1) Labiis vulneris conjunctis et consolidatis homo per totam vitam incolomis evadit.
- 2) Vulnere cicatrice obducto post menses annosve morbus recrudescit et quidem vario modo. Plerumque aegroti aliquantisper dolorem vrentem in cicatrice sentiunt, brevi tunc in eadem indurationem quandam animadvertentes, successive excoriatam et postea in vlcus immutatam, quod naturam cancri induit. Interdum vlceri aperiundo dolores dentium intolerabiles praeceunt. Nonnunquam quidem cicatrix non recrudescit, glandulae vero aut sublinguales aut submaxillares intumescunt et quidem ad magnitudinem notabilem, quibus in decursu mali varia incommoda, deglutitio impedita, respiratio difficilis et postremo febris lenta accedunt, quae aegrotum sensim sensimque consumit.
- 3) Vulneris quidem oris conjunctis pars vero cicatricis semper humida remanet, quae non coalescit, quodcumque chirurgus agat. Postremo in

vlcus cancrosum tranfit, quod quandoque medicamini cosmico cedit, quandoque vero et contra hoc remedium rebelle invenitur.

- 4) Aliquando in superficie labii interiori eo loco, vbi orae vulneris coiverunt aut etiam in loco paulo remotiori vulnus denuo dehifcit, quo vlcus oritur, quod brevi iterum naturam carcinomatis adsumit.

Quandoque malum renafcitur certis potentiis nocivis e. g. preffione, percuffione, fricando et attactu dentis prominentis etc., interdum vero fine caufa nota.

Nonnunquam apothera, constitutioni aegroti in vniverfum, genio vero reproductionis, fecretionis fpeciatim in cute adaptata, nec minus diaeta blanda et in carcinomate magnam faniei copiam profundente, vlceribus artificialibus in loco vicino aut jam ante aut poft operationem excitatis et diu poft exciffionem fervatis, impediri potefit, quo minus morbus recrudefcat.

§. 25.

II. *De vfu medicamentorum interne et externe applicandorum.*

Sicut plurima medicamina interna et externa ad debellandum cancrum in univcrfum laudata funt; ita etiam medicamenta non defuerunt, quae contra cancrum labii interne et externe commendata funt. In quibus vero cafibus cancer labii medicamentis internis et externis fanari poffit, ex fequentibus apparebit :


- 1) Ante omnia diligentiffimo examine indagandum eft, num caufa quaedam cognita ad cancri generationem quidquam contulerit; vti lues venerea, fcrophulae, fcorbutus, arthritis, exanthemata fuppreffa, perversa cutis fecretio etc. Si res ita fe habet, remedia genio horum morborum adornata pro configuratione fubjecti adminiftrantur, necelfe eft. Experientia enim docuit, cancrum interdum vfu mercurialium, in aliis cafibus vfu cicutae, digitalis purpureae, belladonnae etc. fanatum efle. Quandoque vero morbi dicti non vt momenta caufalia accufandi, fed potius ceu diathefes, quae vno eodemque tempore cum cancro adfunt, exiftimandi funt, quae eundem alunt, ejusque extirpationem impediunt. Hoc in cafu morbi ifti omnino, fi fieri potefit, removendi funt. Quodfi vero his remotis, cancer immutabilis remaneat, extirpatio, configuratione ceteroquin fana, fufcipi potefit, quae non raro fuccedit.

2) Quando carcinoma longe progressum et tam late propagatum est, ut pro morbo locali haudquaquam judicandum sit; tum remedia localia ad malum debellandum minime sufficiunt, utpote exstirpatio cultri et caustici adjuncto, sed potius remedia, interne et externe simul adhibenda, et procreationi miasmatis cancrofi compescendae et prorsus amovendae paria requiruntur. Remedia vero interna ea vi et virtute gaudere debent, ut, in totum systema lymphaticum et glandulosum praecipue agentia, aut decompositionem aut saltem alterationem miasmatis efficiant. Remedia externa, in carcinomate ipso collocata, corruptum et morbosum destruant, quod vi vitali, remediis internis aucta, non semper fieri potest. Sequentibus igitur in casibus in carcinomate labii sanando remedia interna et externa indicata mihi visa sunt:

- a) quando exstirpatio opportuno tempore non suscepta et malum nimis diuturne sibi relictum fuit, ita, ut virus cancrosum non solo in labio resideat, sed etiam ad glandulas vicinas transferit, e. gr. quando glandulae sublinguales et submaxillares aut etiam glandulae in genis aut in collo sitae tumidae et induratae sunt.
- b) Quando, carcinomate per cultrum aut causticum exstirpato, morbus recrudescit atque signa, virus ultra locum affectum propagatum esse, se manifestant. Sane casus occurrunt, ubi ferrum aut causticum non ea ratione et cura, qua par est, adhibitum fuit v. c. ubi cultro non omne corruptum vel etiam suspectum ablatum, aut ubi causticum non satis profunde in locum adfectum penetravit neque omne morbosum destruxit, sed potius seminium morbi remansit. In hoc casu iteratus cultri aut caustici usus etiam nunc prodesse potest.
- c) Quando carcinoma eum ambitum attigit, ut chirurgus neque cultrum neque causticum ob gravia symptomata metuenda admovere audeat, v. c. cum non labium totum solum ab vno ad alterum angulum et ad mentum inquinatum, sed etiam in maximam genae partem extensum sit.
- d) Quando aeger ferrum et causticum recusat.

§. 26.

Multa *remedia interna* ad finem obtinendum laudata et adhibita sunt:



- 1) Mercurialia, inprimis mercurius dulcis et sublimatus. Huncce MARRIAT¹⁾ hac ratione applicatum valde laudat: ℞ Mercur. sublimat. corrosivi grana decem, spiritus salis guttas decem, solv. in Naphtha nitri vnc. j. M. D. S. matutino et vespertino tempore guttae viginti fumantur. Externe paululo mercurii sublimati vlceri insperfo vnguentum ex pice liquida cum calomela mixtum imponatur. Praeterea mercurialia in cancro auferendo ab AKENSIDE, GOOCH et aliis maximopere praedicata sunt.
- 2) Narcotica v. c. radix et herba belladonnae, herba cicutae, digitalis purpur. aconiti, aqua Lauro - Cerasi etc. Belladonnam in scirrho praeteris efficacem esse plures testati sunt. Radicis belladonnae granatria ad sex pro dosi, herbae vero ejusdem medicaminis grana quinque ad decem, extracti denique gr. vnum ad quatuor fumantur. Cicuta in scirrho et cancro potissimum a STOERK, deinde a LETTSOM, QUARIN etc. multis laudibus elata, ab aliis vero ejus efficacia denegata est v. c. a SCHMUCKER, DE HAEN etc. Herbae cicutae grana tria ad decem, extracti vero ex herba parati granum vnum ad grana tria porrigantur. Ex herba cicutae fomenta confecta vlceri imponuntur. Omnis cicutae efficacia minime negari potest, dolores ea mitigantur et suppuratio melior redditur, quod vero ad sanationem mali plenariam minime sufficit. Maximam efficaciam tum cicuta tum digitalis purpurea pr. dosi granorum duorum ad quinque praebet, vbi diathesis scrophulosa adest.
- 3) Succus recenter expressus *Onopordi acanthii*²⁾ multis abhinc annis in labii cancro in vsum ductus est interne ad cochleare cibarium sumtus, externe linamenta carpta eodem impraegnata vlceri imposita. Recentioribus temporibus a RICHTER admodum laudatus.

Ex remediis contra cancrum, modo externe adhibitis, haec sunt praecipua :

- 1) *Sedum vermiculare* cum flore luteo multis probatum est. Herba hujus medicaminis ad pulverem contusa vlcus conspergatur; succus recenter expressus eodem modo applicari potest.
- 2) *Succus gastricus* animalium ruminantium vti in aliis vlceribus rebellibus

¹⁾ MARRIATS *Handbuch der praktischen Arzneykunst*. Leipzig 1793.

²⁾ Vid. GOELICKE *diff. de onopordo carcinomatis averrunco* Francof. ad Viadr. 1739.

fic etiam in cancroſis commendatus nec ſine fruge in iisdem minoribus adhibitus.

- 3) *Pix liquida* imprimis laudabilis ad mitigandos in ulceribus cancroſis dolores.
- 4) Cataplasma e daucis Carottae paratum multum adfert ad vlcus purificandum, odoremque ſaniei corrigendum, nec non ad levandos dolores, neutiquam vero ad vlcus radicitus ſanandum.
- 5) Spiritus Salis ammoniaci cauſticus ſufficiente aquae aut decocti chinae quantitate dilutus a MARTINET¹⁾ ſummis laudibus elatus eſt. VAN WY Spiritum ſalis ammoniaci cauſticum cum melle roſarum mixtum in cancro labii fauſto eventu expertus eſt.
- 6) BERNHARDT²⁾ ſpiritum nitri ita adhibuit, vt ſpiritui tantum aquae adfunderet, ne vllus acidi ſapor ſupereffet.
- 7) Carbo pulveriſatus vlceri inſperſus a BEDDOES et aliis, nuperrime a RUST³⁾ ad mitigandos dolores commendatus hac praefcriptione. \mathcal{R} . Unguenti de ſtyrace, pulveris carbonum ligni tiliae alcoholiſat. aa unciam j., Camphor. myrrhae aa drachmam vnam vel duas, olei terebinthin. q. ſ. vt fiat unguentum.


§. 27.

Minime quidem negare velim, vnum alterumve horum medicaminum in ſingulis ſcirrhi et cancri caſibus vim aliquam exſeruiſſe, quamvis contendere poſſum, me de omnibus hiſ medicamentis, iterata vice adhibitis et ſatis diu continuatis praecipuam vtilitatem, dum cancer naturam vlceris induerat, non obſervaffe. Itaque admodum optabile eſt, vt nobis remedium innotefcat, quod carcinoma tutius et ſecurius compoſcere valeat, quam remediis hucusque notis factum eſt. Arſenicum igitur, vti jam ſupra dictum eſt, vi et efficacia, miasma cancroſum decomponendi aut immutandi, ſimulatque virus ad plures glandulas propagatum ſit, pollere putamus. Vt quaeque calx metallica, ita etiam Arſenicum vim praecipue in ſyſtema vaſorum et glandularum abſorbentium

¹⁾ Vid. *Sammlungen auſerleſener Abhandlungen zum Gebr. f. pr. Ärzte*. Vol. 6.

²⁾ Vid. ej. *chemiſche Verſuche und Erfahrungen*.

³⁾ Vid. *Helkologie oder über die Natur, Erkenntniſs und Heilung der Geſchwüre* 1811. Vol. II. p. 123.



et fecernentium exferere mihi videtur. Arsenici vero effectus multo vehementiores et penetrabiliores sunt, quam aliarum calcium metallicarum, ideoque vi pollet, pertinacissimum omnium morborum in systemate glandulari obviorum, utpote cancrum, compescendi illamque actionem organico-chemicam, a qua cancer profectus est, tollendi. Non ignoro, minime novum et inauditum esse, arsenici virtutes in cancro laudare¹⁾. Nam me non fugit, illud quidem remedium in antiquioribus et recentioribus temporibus a permultis externe adhibitum, sed modo a paucis interne tentatum fuisse, uti a LE FEBURE²⁾, JUSTAMOND³⁾, ADAIR⁴⁾, et nuperrime a RUST⁵⁾. Tanta vero sunt, quae non solum proposita in re medica, sed etiam in singulis casibus adhibita sunt, e quibus vero nihil certi prodiit. Sic etiam de usu arsenici praesertim interno multum disputatum est. Plurimi enim fuerunt, qui hoc remedium in cancro plane repudiaverunt et illi effectus nocivos attribuerunt, ut THILENIUS⁶⁾, PYL⁷⁾, PEYRILHE⁸⁾ et alii. Operae igitur pretium est, ad illud denuo redire. Itaque artis peritos invitandos esse putamus, hoc remedium in cancro, contra omnia alia remedia hucusque cognita, quando propagatus et disseminatum est, rebelli, accurate et provide experiri. Duobus abhinc annis de vi et virtute Arsenici in cancro sanando pluribus in casibus periculum feci. Ex observatione in fine adjecta, ut puto, prodibit, efficaciam in carcinomate debellando non parvi aestimandam esse. Dubitatio, arsenicum, fortissimum venenum, minime in materia medica admittendum esse, nullius momenti amplius esse potest. Si hoc argumentum valeret, medicamina efficacissima releganda essent. Arsenicum autem multos ofores et adversarios habuisse, facile explicari potest. Plurimi enim desideraverunt, ut illud in iis casibus opem ferat, in quibus omne au-

1) Prae ceteris summis laudibus tollendus est HARLES, qui in peculiari libri: de usu Arsenici in medicina. Norimberg. 1811. vires arsenici in morbis diversis, ea doctrina, qua pollere solet, exposuit.

2) Vid. ej. lib.: Remède éprouvé pour guérir radicalement le cancer. Paris 1775.

3) Vid. ej. libr. jam supra cit. et: *Auserlesene Abhandl. für pr. Ärzte* T. XII, p. 434.


4) Vid. DUNCAN'S medical Commentaries T. IX.

5) *Helkologie* etc. T. II, p. 100.

6) Vid. RICHTERI *Chirurg. Bibliothek* Tom. V. p. 538.

7) *Neues Magazin für die gerichtl. Arzneywissenschaft*. V. I.

8) *Dissert. acad. sur le Cancer* etc. Paris 1773.




xilium vanum et irritum est, vt in cachexia completa, in prostratione et exhaustione virium nimia etc. Quemadmodum mercurius, remedium contra lue veneream specificum cognitum, non omnes syphilide affectos sanat, ita arsenicum etiam non omnibus carcinomate inquinatis medebitur. Accedit, vt plures medici recentiores eo perperam et in dosi nimis larga vfi sint. Egomet ipse vidi, arsenicum contra carcinoma mammae dosibus immensis ab aliis adhibitum non solum nullos, sed potius nocivos effectus protulisse. Luculenter vero apparuit, effectus nocivos a dosibus nimis largis subortas esse. Num arsenicum carcinomati mammae debellando par sit, mihi non videtur, sed multo magis mihi fit credibile, arsenicum nonnisi viribus ad carcinoma in glandulis lymphaticis et subcutaneis obuium compescendum pollere. Experimenta de hac re satis diu continuata rem dijudicabunt. Quod ad me attinet, arsenico non nisi in cancro labii, narium et faciei vsus sum. Occasionem vero datam, hoc remedium in cancro vteri tam frequenti experiundi non omittam.

§. 28.

Arsenicum ex supra dictis in cancro labii et faciei indicatum existimo, quando malum non amplius locale suspicamur, ideoque ab extirpatione nihil sperari potest. Si vero arsenicum in cancro vt profit volumus, opus est:

- 1) Vt vires aegroti ita comparatae sint, vt constitutio hominis remedium, tali efficacia praeditum, possit perferre. Febris igitur lenta, praecipue vero omnes colliquationes absint. Attamen vero solertissime inquirendum est, num forte febris non nisi symptoma ichoris resorpti sit, quo in casu arsenicum non contraindicatum est.
- 2) Ne cancer cum lue venerea aut scrophulis, scorbuto etc. complicatus sit, quod si accidit, morbi isti antea remediis adaptatis, quantum res concedit, removendi sint.
- 3) Vis reproductiua ne nimis diminuta sit, habitus igitur cachecticus absit.
- 4) Sub vsu arsenici interno vsus externus non negligatur. Administratione enim externa omne morbosum et corruptum destrui, interna vero causa morbi ipsa, e qua carcinoma natum, aboliri debet. Vtraque remedium adhibendi methodus vicissim se tueatur necessum est.
- 5) Ab initio arsenicum dosi refracta porrigatur, quae modo sensim augeatur. In definienda tamen arsenici dosi respicienda est constitutio corporis in vni-



versum, tum vero singulorum organorum praesertim digestionis inservientium conditio, nec minus ferendi ejus facultas, in variis hominibus longe diversa. Quo irritabilior aegroti constitutio, eo cautior in stabilienda arsenici dosi sit medicus. A plurima hominum parte arsenicum perfertur in dosi partis grani decimae octavae usque ad sedecimam. Temporis decursu medicus ad majores doses caute ascendere potest ad partem grani decimam quartam aut duodecimam aut decimam.

- 6) Usus arsenici per satis longum temporis spatium continuatur. Praecepta in administrando arsenico fere eadem, quae in usu mercurii in lue venerea refractaria sequimur. Effectus hujus remedii salutare quandoque satis mature se manifestant, sed modo tardius augentur, ita, ut non raro plures menses ad sanationem plenariam requirantur.
- 7) In porrigendo arsenico imprimis virium vitalium ratio habenda est, ideoque per alia remedia congrua arsenici efficacia sustentetur. Plerumque arsenicum organis digestionis inservientibus aliquam infert molestiam, quod elucet ex appetitu languido, diminuto aut perduto. Quo in casu juxta arsenicum medicamina amara, aromatica, ut Cortices aurantium, Quassia, China in usum ducantur, ut organa digestionis excitentur earumque functio restituatur. In subjectis insigni irritabilitate praeditis, admodum salutare est arsenico laudanum jungere, simulatque vero symptomata nociva se manifestant utpote vomituritio, vomitus, anorexia et dyspepsia etc., dosi diminuatur aut usus arsenici per aliquot dies omittatur. Interdum frugi est, remedium alvo ciendae interponere.
- 8) Ut vis arsenici corrosiva, quantum res concedit, mitigetur recentioribus temporibus alcalina cum arsenico mixta administrata sunt. BRERA nimirum arsenico calis carbonicum, hujus vero loco HARLES sodam carbonicam, adjunxit hac ratione: ℞. Arsenici alb. drachmam dimidiam, Aquae comm. stillaticiae Uncias sex. M. digerantur vase vitreo clauso in balneo arenae justis caloris ope per horas sex, tum adde Sodae carbonicae purae drachmam dimidiam antea solutae in Aquae Cinamomi simpl. Unciis duabus, M. digerantur denuo per aliquot horas in loco temperato. Hac solutione bis terve quotidie ad guttas 8 — 10 — 15 utimur.

Dantur etiam aliae praescriptiones et modi, arsenicum in corpus ingerendi. Solutionem vero arsenicalem aliis formulis, uti pilulis, pulveri etc. longe proferendam atque multo tutiorem puto.


9) Ante omnia in usu arsenici *victus* ratio habenda est. In univcrsum ab aegroto in victu modus servetur. Tum omnia esculenta et potulenta, quae organo digestionis inservientibus molestiam possunt adferre, diligenter evitanda sunt. Victus animalis magis conducit, quam vegetabilis. Juscula e carne elixa, caro assata, lac etc. nec minus e vegetabilibus mucilaginosae et gelatinosae, vti oryza, sago, salep, hordeum decorticatum etc. praeter ceteris commendabilia. Praesertim vero omnia acida, ne vis arsenici corrosiva acuatur, ex professo fugienda sunt.

§. 29.

Ex pluribus observationibus cum arsenico in cancro tractando a me institutis, tantum unam, ne opusculum fines transgrediatur, adjiciendam putavi, quae, ni fallor, efficaciam arsenici in cancro labii sanando luculenter demonstrabit.

Vir quidam, quadraginta annos natus, caupo et lanius, constitutione satis robusta praeditus, valetudine semper prospera gavissus, nullo hucusque vexatus morbo, mense Maio anni millesimi octingentesimi septimi, sine causa cognita, in margine labii inferioris nodulum magnitudinis grani milii, quatuor fere lineas ab angulo oris dextro remotum, coloris subrubicundi intra sex septimanas ad magnitudinem pisi auctum, duriusculum et lividum, minime dolorificum sensit. Versus finem Junii ejusdem anni nodulo ad magnitudinem fabae surrecto, a chirurgo quodam, naturam mali haudquaquam cognoscente, cataplasma e melle et farina confectum imponere iussus est. Triduo vix elapso superficies excoriata et postremo fissura tumoris, ad superficiem labii externam descendens, orta est. Deinde fissura crassa fusca, post aliquot dies resoluta, semper vero regenerata, obtecta est.

Variis remediis sine fruge adhibitis tumor exulceratus sensimque auctus et usque ad angulum oris extensus a. MDCCCXC. mense Junio a chirurgo quodam ita abscissus est, ut terna vice intra triduum extirpationem susciperet, cum post quamque excissionem noduli duri observarentur. Quotiescunque culter admotus fuit, vulnus, solutione caustica lavatum, aegroto dolorem acerbissimum movit. Septimanis quatuor praeterlapsis, vulnus tandem sanatum est. Per spatium trimestre aegrotus bene valuit. Ineunte vero mense Octobri aegrotus in superficie labii interna ope linguae tumorem parvum, brevi ad magnitudinem nucis avellanae auctum, nec minus paulo post in superficie labii exteriori conspicuum animadvertit. Denique tumor, dolore vrente et pungente orto, ver-




sus finem ejusdem anni tres lineas a parte labii rubra remotus in eodem loco, quo fissura antea fuerat, apertus est. Ex ruptura materies spissior, miliaria, fere glareosa exiit. Ab hoc tempore, ulceratione in dies aucta, vlcus indolem malignam induit, latius semper se extendens vsque ad oris angulum, saniem tenuem, acrem fundens. Mense Januario a. ciorccccx. post pilulas, a vetula quadam ei ordinatas, sine dubio e drasticis purgantibus paratas, quindecies vomuit et tricies immani cum dolore et subsequente abdominis inflatione alvum exoneravit, quo obstructio alvi per tredecim dies et ischuria per quinque dies continuata, dolores artuum inferiorum graves et tanta virium prostratio cum delirio sequuti sunt, vt ad corpus reficiendum sex hebdomadibus opus haberet. Vlcus labii ab angulo oris vsque fere ad mentum et ad genam dextram propagatum erat. In eo loco, quo originem duxerat, labium ad longitudinem pollicis et quadrantis penitus destructum et laceratum fuit, ita, vt hiatus subortus esset. Margines hujus rimae excrescentiis nodosis inprimis in vicinia anguli oris obfessae, inversae, inaequales ac quasi corrosae et lividae. In medio genae dextrae tumor notabilis, latus vlceris dextrum circumdans et praeterea induratio per totam genam dextram diffusa detegenda erat. Aeger dolore vrente, lancinante, saepius sensu formicationis alterante cum sensatione ac si acus candentes per vlcus trajicerentur, vexatus est. Sanies acris, sanguinolenta, foetoreque specifico intolerabilis effluxit. Ceterum vlcus tam dolorificum fuit, vt tactum lenissimum non perferret. Saliva continuo e rima profluit, atque maxilla inferior vix moveri potuit. Esculenta fluida et potulenta nonnisi capite ad latus sinistrum inclinato, et quidem modo membratim haurire potuit, quod nisi observaret, omnia per os refluxerunt. Appetitus depravatus, vires diminutae et prostratae, corpus emaciatum. Glandula submaxillaris lateris dextri valde tumida et indurata.

Exeunte Majo a. ciorccccx. me consultum venit. E permultis cancris, quos, in variis corporis partibus obvios observare mihi contigit, vix ullus fuit, qui talem aspectum horrendum praebuisset. Hoc malum naturae cancriferae fuisse vix quispiam dubitabit. Sive mali ortum, sive ejus decursum, sive phaenomena vlceris praesentia respicias, ex omnibus apparebit, quod malum istud carcinoma fuerit, quod equidem non amplius labio soli haerebat, sed cujus virus jam resorptum et ad glandulas vicinas translatum fuit. Ingenue confiteor, me ne minima quidem spe aegroti restituendi sustentatum fuisse. Spes hujus carcinomatis aut cultri aut caustici ope extirpandi vana fuisset. Cum aeger mi-

ferrimus me suppliciter rogaret, ut omnia, si vspiam fieri posset, tentarem, quaecunque ad restitutionem ipsius conferri possent, mihi in mentem venit, in hoc casu arsenico interne et externe uti, quod me neutiquam poenituit. Eventus enim expectationem meam longe superavit. Nam speraveram, fore, ut quidem vsu arsenici carcinoma in melius mutaretur, nunquam vero putaveram, vlcus radicitus arsenico sanatum iri.

Cum vero aegrotus a Jena satis longinque habitaret, curam ejus medico aegroto vicino committendam putavi. Arsenicum vero sequenti modo praescripti: interne solutionis antipyreticae ex praescriptione BRERAE supra memorata aegro quotidie ter sex guttas vsque ad octo sumeret, et quotidie ad guttam vnam dosin augetet, jussi. Externe carcinoma sequenti solutione: ℞. Arsenici albi gr. ij. solv. in ∇ stillatit. Unc. v. bis lavari, et hoc vnguentum: ℞. Vnguent. Pomat. vnciam j. ⚄ Cosmici scrupulum j. M. D. excrescentiis carneis imponi praecepi. Ceterum omnia praecepta de administratione arsenici interna et externa, de victus ratione, de regimine etc. necessaria cum medico communicavi. Cum dosis ad guttas sedecim aucta esset, aeger calorem auctum atque suavitatem quandam per totum corpus diffusam sensit. Cum vero dosis vltterius et quidem ad guttas viginti quatuor augetetur, debilitas notabilis aegrotum invasit, ita ut ad dosin guttarum sedecim, atque postea etiam ad minorem redire coactus esset. Diebus viginti elapsis e litteris a medico ad me datis compertus sum, quod malum in melius conspicuo immutatum se praeberet; nimirum induratio genae et tumor diminutus, excrescentiae in vlcere minores, foetor saniei, sensibilitas ideoque dolores imminuti se ostenderunt. Ex vlceris excrescentiis, inprimis in superficie labii interiori sitis, saepius sanguis cum emolumento profluit. Excrescentiae ipsae in continuato arsenici vsu et interno et externo in dies decrescebant, margines vero vlceris planiores et aequaliores. Vires sensim sensimque auctae, appetitus ciborum reversus, et in vniversum omnia meliora se monstrarunt, ita ut exeunte Septembri color labii et vlceris lividus disparuerit, margines hiatus carne sana obductae, hiatusque ipse labii multo minor meliorisque indolis esset. Habitus corporis externus multo laetior, aeger ipse spei plenus fuit. Per autumnum et hiemem vsus arsenici, dosi vero ad guttas octo diminuta, quandoque per aliquod dies interruptus, usque ad ver a. MDCCCXXI continuatus est. Ineunte mense Majo medicus hisce verbis mihi scripsit: „Carcinoma labii aegroti nostri ita imminutum est, ut jam septimanis abhinc aliquot sine tegumento labii in conspectu hominum versari queat. Et si tumor



in gena dextra et induratio glandulae submaxillaris admodum diminutus est, tamen aegrotus de intumescencia harum partium continuata, caeteroquin sine vlla molestia et dolore, pertimescit, ne morbus recrudescat. Dosis guttarum octo solutionis arsenici superare illi non licuit. Ceterum valetudine prospera gaudet, omniaque, quae ei obsunt, alacritate peragit." — Itaque istas partes induratas, vt magis magisque resolverentur, solutione ex arsenico albo parata ter pro die lavare iussi, quo factum est, vt tumores pededentim diminuere-
 tur, ita, vt, cum aegrotum exeunte Junio viderem, vix vlla nodulorum vestigia detegi potuissent. Vlcus tam egregie consolidatum fuit, vt locus prope angulum oris dextrum, vbi hiatus carcinomate subortus fuerat, paulum de-
 pressior conspiceretur. Aegrotum cum praescripto dimisi, vt per aliquot heb-
 domades arsenico vti pergeret. Serius compertus sum, quod omnes glandu-
 larum indurationes penitus disparuissent et aeger bene se haberet. Itaque car-
 cinoma intra menses quatuordecim sanatum est.

Ex morbi historia hic tradita luculenter patet, quod aegrotus carcinoma-
 te comprehensus solo arsenici vsu sanatus fuerit. Nullo enim remedio alio,
 a quo effectus salutares derivare potes, aeger vsus est. Itaque haec historia
 mea ex sententia pro documento efficaciae arsenici eximiae in cancro omnino
 censenda est. Arsenicum interne et externe simul adhibui. Vsus quidem ex-
 ternus administrationem arsenici internam sine dubio adjuvavit et in vlcere
 ipso mutationes salutares protulit. Attamen vero in hoc carcinomate sanato
 maxima efficacia in vsu arsenici interno, vti mihi videtur, quaerenda est, cum
 omnia symptomata valetudinis adversae, vti prostratio virium, habitus cache-
 cticus, appetitus imminutus etc. post administrationem arsenici sensim ablata
 sunt. Glandulae tumidae vsui remedii interno diutissime reluctatae sunt,
 quod inde profectum est, vt in illis glandulis tumidis virus carcinomatofum
 praecipue resideret, quod vi arsenici modo pededentim exstinctum est. Itaque
 spatio temporis satis longo ad sanationem cancri plenariam opus habes. Alia,
 quae adhuc consideranda et perpendenda nobis essent, ex industria omittimus.
 Nobis sufficit, demonstravisse, in arsenico rite adhibito contra cancrum jam
 vltterius in corpore propagatum auxilium tutum paratum esse.

Fig: I.




Fig: II.




Fig. 1




Fig. 2

